



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

II. Personae debent ecclesias reparare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

CAP. XV. *Item Lucius tertius.*

Super re  
sacra trans-  
igi non po-  
teft.

Quoniam ex plenitudine potestatis, &c. super eo quod quaesiti, vtrum super ecclesiastico beneficio in litigium deducto, possit fieri transactio, tale damus responsum: sicut iam pridem, si bene meminimus, alii non absimile quaerenti dedimus responsum, quod secundum formam transactionibus adscriptam, super re sacra litigiosa minime transigi potest. Res \* ergo sacra, vt possideatur aliquo dato, vel promisso, vel retento, speciem habere non immerito credimus simoniae. Alias autem gratis & amicabiliter inter se litigantes componere, sacris Canonibus non ducimus obuiare.

PARS  
XXIX.

DE ALIENATIONE RERVM  
ECCLESIAE, ET DE EARVMDEM  
recuperatione.

## CAP. I.

*Alexander III.\* Exoniensi episcopo.*

Ex praesentium latoris insinuatione accepimus, quod Alexander quondam sacerdos ecclesiae dictae Offetolon, calicem quemdam argenteum, & medietatem vnius breuiarii eiusdem ecclesiae pro sua necessitate pignori obligavit, & ea, morte praeventus, minime recolligit. Vnde quia indignum est, vt eiusdem ecclesiae res suae, & praesertim, quae sacris ministeriis deputatae sunt, taliter debeant deperire, fraternitati tuae, &c. quatenus si verum est quod asseritur, filium eius V. qui ex successione eius, ipsius patrimonii ius dicitur obtinere, moneas diligenter & compellas, vt res ipsas pignoras recolligat, & eas ecclesiae restauret: quod si facere noluerit, eum vinculo anathematis non differas coercere.

## CAP. II.

*Idem eidem. Pars capituli; Ad aures. supra de sponsis.*

De his qui parochiales tenent ecclesias, fraternitati tuae taliter duximus respondendum, quod ad reparationem & institutionem ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit,  
de bo-



ANNO CHRISTI 1179. de bonis quæ ipsius sunt, conferre, si eis supersunt, vt eorum exemplo ceteri inuidentur.

CAP. III. *Idem.*

Ceterum si abbatem tuæ diocesis donationem cum priore & quibusdam de conuentu suo facere contigerit, & pars conuentus postea reclamauerit, datæ rei quantitas & illius terræ consuetudo, quæ tamen sacris Canonibus manifeste non obuiet, est diligentius attendenda, & secundum hoc est donum ratum vel irritum iudicandum. Verum cum alicui ecclesiæ possessio quælibet, interposita conditione, donatur, non potest a donatore donum postea reuocari, nisi forte tali sit conditione collocata, quod ea cessante possessio reuocari debeat.

CAP. IV. *Idem V Vigorniensis episcopo.*

Illas vero terras, quæ de siluis extirpatæ, sunt arabiles factæ, eius hereditario iure sub annuo censu poteris concedere tenendas, a quibus ipsas suorum vel parentum suorum labore constiterit fuisse extirpatas, nisi forte aliis possint ad maiorem ecclesiæ vtilitatem cum eodem honore & labore conferri.

CAP. V. *Idem Panormitano archiepiscopo.*

Quia tua nos duxit prudentia consulendos, vtrum clerici scholares de rebus mobilibus, aut immobilibus possint condere testamentum, consultationi tuæ respondemus, quod licet de his quæ paternæ successionis & cognationis intuitu aut de artificio sunt adepti, siue dono sanguineorum aut amicorum suorum, non habito respectu ad ecclesiam, perueniunt ad ipsos, libere disporre valeant, de his tamen quæ de consideratione ecclesiastica perceperunt, nullum de iure possunt facere testamentum.

CAP. VI. *Idem Salernitano episcopo.*

Ad hæc licet consuetudo illa non sit rationi consona, secundum quam clericus, si a Kalendis Martii vsque ad Kalendas Nouembris decesserit, totum fructum beneficii, quem deberet anno illo percipere, pro voluntate sua

Pars capituli supra, de clericis matrimonio copulatis.

*Concil. Tom. 27.*

Oooo